



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Ecclesiae suae coram custodiendae, ac iuuandarum animarum cura.
cap.23.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

Et balbutientem improbasse. cum Carolus placide statim; vere, inquit, locutus est: vt amicus admirans obmutesceret. Eandem moderationem multo facilius in eos seruauit, quibus in eius causis aliqua potestas erat; quidquid ijs statuissent, contra quam vellet, expedire vel iudicaret ecclesie suae: grauius saepe dolebant eius, minime stulti, procuratores; multa querebantur: ipse vero non solum non incendebatur; sed suorum agendi modum potius temperabat. Nunc ad ecclesie administrationem propius est accedendum.

Singulare quoddam diuini cultus, & humane salutis studium Carolus insitum sibi semper ostendit; ex quo de medio prosperitatis humane cursum, ad meliorem statum diuino munere reuocatus est. cumque Tridentini concilij decreto, ne Cardinales quidem excusari vidisset, quin residerent in ecclesijs suis; ideoque in sede sua Mediolanensi perpetuo sibi manendum constituisset; quotidie magis ad commissi gregis commoda, salutaresque progressiones affectus; & incensus; in eo custodiendo; atque omnibus rebus iuuando, mirificam adhibuit attentionem, vigilantiam, ac laborem. Quae in re naturali facultate quadam non medio criter eum iuuari concessit Deo: vt quibus in rebus sibi elaborandum constituisset, ijs se rebus penitus, totumque daret. Ita certe se totum ad ecclesie suae curam retulit; ita ei sese mancipauit; vt eius gratia, & commodo amplissima donauerit; propter eam administrationibus se omnibus exoluerit; ipsum praclarissimum Cardinalatus gradum, si ita oporteret, ob eandem causam dimittere; quod temere non dico, paratus fuerit. in ea denique cura omnia studia, omnes animi, corporisque vires posuerit; & consumpsit; vsque ad mortem. Cumque

videret quantum ex praesenti Pastoris ipsius custodia grex ad vberes Domino fructus ferendos, iuuaretur; praesentiam ipsam, residendique in suis ecclesijs continuum studium summopere semper extulit; ac Episcopis omnibus toto animo persuadere conatus est, qua commendatione, ac cohortatione profecit in multis: qui eius sententiam secuti; vel sese ad ecclesias suas retulerunt; vtilitateque perspecta, gratias egerunt: vel, si residere nollent, munere ipso se abdicarunt. quibus Carolus ex animo gratulari solebat, & absentiam a grege suam adeo non tulissent; vt pastorale munus potius sibi renunciandum existimarent. at Pontificia quoque auctoritate iuberi, quos opus esse viderat, in primisque suae prouinciae Episcopos curauit; vt ecclesias suas praesentes administrarent. Cardinalem cum esset cohortatus, vt in ecclesia sua resideret; ille vero sese excusasset, quod non magnam ecclesiam habens, eam potius deberet aliena opera, custodiaque administrare; respondit, ne dum multa millia, vel animam solam amplissimi cuiusvis Antistitis praesenti custodia dignam. Cum Subalpinæ regionis ecclesias visitandas audisset sibi destinari; omni ratione onus a se auertit, ecclesie suae necessitates excusans. at non eodem modo, de prouinciae Mediolanensis ecclesijs; quae ob coniunctam metropolis administrationem, iusque metropoliticum in eas, ad eius curam aliquo modo, pertinebant. In Heluetios sibi, Rhetosque eundem, ac tantopere de eorum salute, vt narratum est, ideo sibi laborandum putauit; ne mala eorum propinqua possent ad ecclesiam suam peruenire. De cetero absentiam ab ecclesia sua diligenter vitauit. ne ipsa quidem de iurisdictione ecclesiastica controuersie, poterunt eum a grege suo paulum auellere.

Ecclesie
sue coram
custodiendae,
ac iuuandae
animum
cura.
GA. XXIII.

in
-ndad
-sibit
-vix
-sag

wellere. Quando autem, vel creandi Pontificis causa; vel ad Apostolica limina visenda, Romam proficiscatur; quam citissime posset, redire maturabat: nisi, quod semel, atque iterum euenit, iussu Pontificis mens aliquot moraretur; ad aliquid instituendum, quod toti prodesset Ecclesie. Quod nisi ita sensisset, fecisset que; tanto profecto, neque in publicis ecclesie gubernandae rationibus, neque in priuata sanctitatis disciplina, consequi potuisset. dicebat enim ad utramque rem valde se incitari; cum eo se loco esse vnum sentiebat, quod spectarent reliqui omnes; & vnde virtutis exemplum sibi quisque petere deberet. commouerique vehementer, quod suis quotidie oculis aspiceret filiorum necessitates; tum vero animum eorum, ac voluntatem tantum in via salutari progredi paratam; quantum patris amore studioque iuuaretur. Animarum charitate sic flagrabat, vt dignitatis suae quodammodo oblitus, eorum presbyterorum conditionem quandoque toto corde videretur expetere; qui agrestibus, asperisque locis parochias habentes; inopem, laboriosamque vitam in curatione animarum agebant. ibi demum charitatem ostendi posse, cui nihil humani desiderij, commodive esset admistum. Hanc suorum oblatores precipuam esse virtutem cupiens, docebat eos frequenter; quam vehementer eam queri, colique ab ijs conueniret, qui se Dei ministros profiterentur. Memoria teneo, cum in aedibus esset, quae Canonice nomine appellantur; quotidie certa hora multos eius collegij clericos, qui nomen in Oblatorum societatem dederant, aduocasse; sententias ex Euangelio selectas, quae ad eam rem maxime valerent, tradidisse, ac diligenter explicasse: de quibus altero die, cum interim eas meditati essent, singillatim interrogabat, quid

sensissent. quam quidem exercitacionem miro studio, ac etiam abiectiōne obiuit complures dies. quod cum aliquando faceret, praecipuo quodam affectus ardore, ad nos conuersus, Quam libenter, inquit, nisi hoc essem loco, eam amplecterer conditionem; vt bono Episcopo deditus, nulloque stipendio, certo ve hospitio nixus, huc illuc animarum causa mitterer, nulla cuiusuis incommodi, vel laboris habita ratione. Eorum ille quidem res minime cognoscere studebat, qui suae curae non essent; neque operae aliquid suis subtrahendum putabat, vt alijs tribueret: cumque aliquando quospiam suaderet, vt pro Cardinalatus officio, eam personam suscipere vellet, quae ad vniuersam spectaret Ecclesiam; vt quid vbiq; opus esset ad pietatem recte colendam, & nosset, & prouideri curaret: ei rei se assentire non posse dicebat; propterea quod ante omnia sibi ecclesiam suam curandam ex sacris legibus agnosceret; cui ne totis quidem viribus suis, totoque vitae curriculo posset satisfacere. Sed quia tamen multa nunciabantur, multi ad eum confugiebant; & omnino de rebus externis multa cognoscere erat; officijs, admonitione, consilio, etiam longinquis saepe subuenit. De ecclesijs, prouincijsque subleuandis, aut componendis; de legatis mittendis, visitationeque mandanda, ad Pontificem saepe retulit. maxime vero frequenti supplicationum publicarum exercitacione, res Ecclesiae totius Deo curabat commendari. De regularium quoque disciplina monebat quos oportet. omni officio, studioque regulares ordines, iuuabat. Sed ita tamen, vt in ecclesia sua administranda interim desuadere desisteret.

Concionandi munus, quod praecipuum Episcopi esset Tridentinae synodi constitutione iudicatum viderat, studiose

In concionibus habendis studium.

CAP. XIV.